

CAPELLA AVDAX

Haec fābella uersibus hexametris scrīpta est.

Quī numquam magna audet praemium nōn accipit.

Ōlim uēre duae sub celsō monte capellae

Arcadicīs in prātīs pascēbantur apertīs.

Aspiciēns culmen niueum, sīc incipit ūna:

“Ecce! Vidēs collem? Quīn nunc ascendimus illum?”

Altera respondit (clāmāns): “Est mens tibi sāna?

Nōn collis sed mons sublīmī maior Olympō est!

Hīc remanēre uolō: nimis ardua saxa uidentur.

Tū faciās ut uīs; ego numquam tālia temptō.”

“Sōla igitur” dīxit, “quod mē nōlis comitāre,
ascendam, in summō quid sit studiōsa uidendī.”

Hīs dictīs abiit. Saliēns per maxima saxa,

ad summum montem tandem peruēnit et, ecce,

in mediā siluā locus est pulcherrimus: umbram

rāmōsae quercūs praebent flōrēs uariīque

suāuēs ēmittunt (hyacinthī et līlia) odōrēs;

lympphae dēcurrunt gelidae dē fonte propinquō.

Hūc veniēns, laetē mollissima grāmina carpit.

“Herbīs hīs utinam socius mēcum fruerētur,

sed quoniam timuit montem conscendere, numquam

hūc veniet, neque terrās hās spectābit amoenās!”